

Patrem omnipotentem contrarium et Jeshum Christum filium eius et Spiritum Santum, et insuper componat cum suis heredibus et successoribus suprascriptis commissariis et eorum successoribus auri libras quinque. Et hec mei testamenti carta in sua permaneat firmitate. Signum suprascripti Johannis Ruzini dicti Tataro qui rogavit fieri.

Ego Phillippus Bondemiro testis subscripsi.

Ego Pizamano Corbato testis subscripsi.

Ego Petrus Sancte Euphemye plebanus et notarius complevi et roboravi.

362.

1315, Novembre 1.

*Diversi lasciti che fa Andrea Nani ai suoi parenti e a' luoghi pij.*

In nomine Dei eterni, Amen. Anno ab incarnatione Domini nostri Jeshu Christi millesimo trecentesimo quintodecimo mense novembris, die primo indictione quartadecima in Ayacio Regni Armenie. Cum omnis namque dies velut ultimus ordinandus sit, idcirco Ego Andreas Nani de confinio sancti Pauli de Veneciis sana mente et corporis infirmitate oppressus vocatum ad me Petrum Ecclesie sante Euphemie de Veneciis plebanum et notarium rogavi ut hoc meum scriberet testamentum. In quo esse constituo mee fidei commissarios dominam Nonam Amitam meam de suprascripto confinio sancti Pauli et Marchesinam uxorem meam peramabilem atque Petrum Miani de confinio sancti Cassiani de Venetiis, ut secundum quod hic ordinavero sic ipsi post meum adimpleant obitum. In primis omnium dare ordino rectum decimum pro anima mea, volo et ordino distribui et expendi libras denariorum venetialium mille, de quibus libris mille volo persolvi decimum suprascriptum. Item Ecclesie sancti Marci de Ayacio ubi meam elligo sepulturam dimitto deremos novos ducentos. Domino Salatino Permarino de cofinio sancti Pauli de Veneciis dimitto libras denariorum venecialium centum. Residuum vero usque ad supra-